



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

5. In quibus causis constitui possit Procurator.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

na causa, etiam volente adversario, ne ea occasione à militia avocetur, l. *Militem* 7. l. *Qui stipendia* 9. *Cod. eod.* nisi in rem suam aut suæ cohortis nomine agat, l. *Filius* 5. *l. veterani* D. *eod.* Quartò, Decuriones, & digniores alii, quia procuratoris vile est officium, l. *Si quis* 16. l. *Si quis* 34. *Cod. de decurionibus* lib. 10. Quintò, Medici & Professores Item Servus, quia legitimam personam standi in iudicio non habet, l. 1. *& toto tit. C. Qui legit. person. standi in iud. non habeant*: Furius, qui contentus caret, l. 2. *l. furiosus* D. *eod.* Similiter mutus & surdus, licet ad negotia procuratores dari possint, non tamen ad litem prosequendam l. *Mutus* 43. *in princ. D. eod.*

5. Infames olim procuratores nec dare nec dari poterant Paul. lib. 1. *Sent. tit. 2.* at jure civili procurare possunt, *l. fin. Inst. De exceptionibus*; quia procuratoris officium non est dignitas, à qua removeri debeant, sed onus & quidem vile reputatum. Jure verò Pontificio tales pro Ecclesiasticis non admittuntur, sed tantum pro laicis & secularibus. Panormit. *in c. Imperatorem* n. 9. *inf. De juramento calump. & Prohibetur etiam reus criminis capitalis, l. Reus* C. *eod.* Re demptor alienæ litis, l. *Litem* 15. *C. eod.* Excommunicatus, *c. Intelleximus inf. De iudicis.* * 6. Præterea Fideus, Universitas vel Civitas, ne potentia vel gratia in re privata causam alteri s. partis reddat deteriorē, *c. 3. & toto tit. Cod. Ne fidei vel privat. & c. Fideus* quidem, pro ut repræsentat eorā universitatē, procurator esse solet; sed si interveniat, ut procurator privatus nisi aliunde ejus gratia aut potentia ostendatur formidolosa, *toto tit. Cod. Ne liceat potenti- oribus & c.* Denique qui Reipublicæ causa at futurus est, aut inciturus Magistratum, aut perpetuo morbo tenetur, aut in vitus iudicium pati non potest, idoneus procurator ac defensor non intelligitur, l. *Neque* 34. *D. eod.*

§. V.

In quibus causis constitui possit.

1. Admittitur in omnibus non prohibiti specialiter.
2. Prohibetur in publicis iudiciis alieno nomine.
3. Item in criminalibus; & quatenus.
4. In privatis iudiciis quatenus.
5. Et in popularibus causis.

1. Ceterum in omnibus causis & negotiis constitui potest, in quibus non reperitur prohibitum constitui procuratorem. Cum enim hoc edictum sit prohibitorium, quid non invenitur prohibitum nominatim debet intelligi concessum, l. *Cum Prætor* D. *de iudicis.*

2. Non admittitur autem Procurator, neque ad agendum neque ad defendendum alieno nomine, in publicis iudiciis. l. *penult. §. fin. D. De publicis iudiciis* l. 2. 3. *§. 5. Cod. De his qui accusare possunt*; nisi quis ita de publico agat, ut & privatum commodum defendat: nam hoc casu, causa cognita, permittitur procuratorem dare; & postea aliud agens exceptione repellitur l. *Non cogendum* 45. §. 1. *D. eod.*

3. Præterea in non publicis, sed in criminalibus, & ejusmodi, ut poena supra relegationem damnato imponi possit, d. l. *penult. §. ad crimen* D. *de publi. iudic.* & ibi Bartol. & D. D. præterquam ad allegandam absentiam causam, l. *Absens* 71. *D. h. r. Maranta* p. 4. *Spec. aurei dist. 1. nu 3. & seq.* nisi de crimine agatur civiliter ad poenam pecuniariam, prout de omnibus agi potest l. *unica* *Cod. Quando civilis actio præjuvaret criminali*, aut nisi de adulterio agatur coram Iudice Ecclesiastico ad thori separationem, *c. Tua* h. *tit.* Vide Marantam p. 4. n. 51. & seq.

4. An autem in privatis iudiciis admittatur procurator, controvertitur: & dici potest, admittendum, ubi poena præstituta est aut certa petitur, quæ sit minor relegatione, l. *Licet* D. *eod.* Si autem poena sit arbitraria, uti quando agitur de suspecto tutore, non admittendum, quia tum pro ratione circumstantiarum augeti potest, etiam usque ad mortem; & illa poena procuratori imponi non potest.

5. In popularibus causis distingui solet, ut actor procuratorem dare non possit, nisi suam injuriam principaliter prosequatur, quia alias publica non sua causa est: pro reo autem alius rectè interveniat; quia privatam causam, hoc est pecuniariam, quæ istis actionibus peti solet, rueret, d. l. *Licet in princ.* Vide Wesenb. *in Parat. D. h. r. num. 5.*

in Parat. D. h. r. num. 5.

§. VI.

D 3

§. VI.